



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt XVII. Quantum scelerum inuehat in Rempublicam hac conscientiaē
libertatis vsurpatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

CAPVT XVII.

*Quantum scelerum inuehat in Rempubicam hac
conscientiæ libertatis vsurpatio.*

ET tamen quoniam volunt vnumquemque suæ conscientiaē relinquere; quam in vno genere libertatem probauerint, eandem in alio quolibet probent, necesse est. Quid enim si alicuius perinde conscientia dicitur adulterium aut falsum testimonium non esse peccatum, atque alterius conscientia in eo sibi pulchrè satisfacit, quòd Ecclesiæ Leges non obseruet? At Lex Dei, inquis, illa prohibet. Quasi desint hoc tempore, quorum conscientia non multa audeat probare, quæ diuina Lege improbantur. Quasi non contra Dei & Euangelij Legem disputet, qui repudiata propter fornicationem, aut etiam perpetuam ægritudinem coniuge, aliud affirmant iniri posse coniugium: qui non alienum censent esse ab Euangelio, aut naturæ lege, si quis Christianus plures sibi simul iungat vxores: si quis consanguineæ in propinquieribus etiam gradibus copuletur: si quis vllò casu neget vsurpari posse iusiurandum, aut doceat latendi gratia etiam in causâ religionis, non illicitum esse mendacium. Et quid illa cōmemoro? Nō enim desunt locis compluribus, qui, quod insipiens dixit in corde suo, Non est Deus, non corde modò concipere, sed ore etiam proferre nō dubitent, & longas contra Dei prouidentiam disputationes, non occultis sermonibus colloquijsque cōtexent. Ergo & atheismus, & magicarum vsus artium, si cuiuscum conscientia non improbet, tolerandus erit in Ecclesia: imò hac conscientia libertate introducta & probata, honorandus, fouendus, propagandus. Timebit Apostolus suoque exemplo his qui præsent, in Ecclesia metuendum esse docebat, ne, sicut serpens seduit Euam astutia sua, ita corrumpere Christianorum

sensu

Sensus à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Ne verò se inaniter timere diceret tantum mali, etiam id ne eueniret, sedulo prouidebat. Ideo enim aliquos satanæ tradidit, quòd eorum sermo vt cancer serperet, & simplices Christianos occultis seductionibus inficeret. Ilii verò securi homines nihil metuunt, nullam simpliciorum subuersionem perimescunt: & cum Pergamenus Episcopus per Ioannis Apocalypsim sit reprehensus, quòd in sua diœcesi pateretur esse qui tenebant doctrinam Nicolaitarum: isti per totam Ecclesiam teneri liberè patiuntur omnium doctrinas hæreticorum, & omnium sacrilegia atque execramèta perditorum. Sic ergo paulatim vacuantur Ecclesie, sic deserta relinquitur Hierusalem, vt non sint qui veniant ad solennitates; sic concionibus, & verbi Dei prædicatione posthabita, vacatur theatris & poculis, & per legendi effutiendique omnia quæ collibuerint impunitam licentiam, domesticis controuersijs generatis, ipsa quoque pax publica & concordia laceratur.

*Publica nam requies priuatis rure foroque
Constat amicitijs: scissura domestica turbat
Rem populi: titubâtque foris, quod disidet intus.*

*Trudensius in
Psychomachia
de pugna con-
cordie & dis-
cordie.*

CAPVT XVIII.

De libertate exercitiorum.

IGITUR libertas illa conscientie, hoc est, omnium scelerum priuata quædam circa singulos impunitas, cum sensim vermiculi rodentis in morem, reipublicæ florem ac medullam & robur consumpserit, ruinam tandem reipublicæ dissolutionemque parit. Proflitur ab omnibus sectis ad propria cuique exercitia, & quæ prius serpebat occultè, postea sese publicis conciliabulis, coronis, theatris, scholis, Ecclesijs, signisque alijs manifestat: quæ prius non carebat scandalis operum

rum